

DISSERTATIO
DE
ACTIBUS
MYSTICIS,

Et primò
DE ORATIONIBUS SEU
PRECIBUS.

QUAM
Favente Supremo Numine,
PRÆSIDE
DN. JOH. WOLFGANG. JÄGERO, D.
Sereniss. Confiliar. Universitatis Tubing.
Cancellario, & Ecclesiæ Præ-
posito.

Publicè defendet
HERMANNUS VAST, Amstelo-
Batavus, SS. Theol. Stud. in Illustr. Stip.

IN AULA NOVA
Ad diem 11. Aprilis.

TUBINGÆ,
Typis JOHANNIS GRÆTZII.

Anno MDCCLVII.

30.

a. LVII. 38.

Coll. diss. A
56, 38

DE ORAL THEORIE SELL
PETERUS



HERMANNUS VARTMANN



In N. J. C.

DE ACTIBUS MYSTICIS.

PRÆFATIO.

Vidimus in nupera Dissertatione, quantum angustia Chartæ permisit, quid sit Theologia Mystica, & quis ejus per *varios* CONTEMPLATIONIS *gradus* PROCESSUS: Ubi lubentes fatemur, quòd non omnia sint excussa, sed nonnulla dicenda supersint, quæ tamen in pleno tractatu de dicta Theologia mystica proximè, ut speramus, supplebimus. Nunc ad Actus progredimur Mysticos, quos inter imprimis numeramus ORATIONEM ad DEUM, & AMOREM in DEUM: Primò autem agemus, de *Oratione*, quæ juxta Damascen. est *Ascensio mentis in DEUM*: aut juxta Augustinum, *Elevatio anima de terrestribus ad Cœlestia*: aut, ut in libro de spiritu & anima cap. 50. ait: *Est Conversio mentis in DEUM, per pium & humilem affectum*. De cujus insigni præstantia, hîc si dicere vellemus, non una pagina, imò nec mille sufficerent. Sufficiat Nobis id, quod *Gregorius M.* in *Moral.* dixit: *Nemo nostrum parvi pendat orationem suam; Dico enim vobis, quòd ipse, ad quem oramus, non parvi eam pendat; postquam egressa est ab ore nostro, ipse eam scribet in libro suo, ita ut unum ex duobus indubitanter sperare possimus, nempe aut dabit, quod petimus, aut dabit quod novit utilius.* Obti-

A

nec

net ergò semper orans id, quod desiderat, aut, etiam majus quid, quum devotæ preces claves sint ad cœlum, atque aditum nobis ad ipsum DEUM faciant; Isidori effatum est: *Qui vult cum DEO semper esse, frequenter debet orare, & legere, nam cum oramus, ipsi cum DEO loquimur; cum verò legimus, DEUS nobiscum loquitur.* Quam verò vim habeat in anima nostra Oratio, *Cassiod.* expressit, inquit: *Oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, sublevat ad cœlestia: reddit idem cor, capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia.* De hoc ergò nobilissimo *Christianismi* exercitio, de hac cœli & CORDIS DIVINI clave ut rectè dicamus, faxit ille, qui Spiritus est, *devotionem* accendens, quin & clamans & orans in cordibus nostris & suspiria ad Cœlum deferens.

THESIS I.

UT verò, in re per hodiernos Doctores Mysticos obscure proposta clarè procedamus, sciendum est, quòd oratio, seu precatio alia sit interna, alia externa, sive alia est MENTALIS, alia VOCALIS, quam divisionem tradit *Chrysostomus* homil. 79. ad Populum: Et, *Nilus*, qui etiam à Dn. *Arnoldo* inter Mysticos refertur, in lib. de orat. c. 39. alias *Mystici* distinguunt inter orationem ordinariam & extraordinariam. Oratio seu precatio ordinaria iterum subdividi in tres species solet, in vocalem, mentalem & jaculatoriam; Vocalis dicitur illa, qua sensus & cogitata mentis sue vestit verbis & sono externo, cum aliqua methodo & ordine, mentalis verò formatur in corde, & ibi residet, ubi ordo & methodus non est necessaria, sed reflexio & meditatio eas preces intrant. Oratio JACULATORIA est motus quidam cordis, ardentibus in suspiriis ad DEUM magno fervore transmissis, consistens; nec multa verba, nec multas cogitationes, vehementes tamen habens. Oratio verò extraordinaria est propria Mysticis, & coincidit cum oratione passiva. De qua quia juxta *Cameracensem Archiepiscopum*, *Card. Petruccium*, *Poiretum*, & alios summa perfectio vitæ contemplativæ in ea consistit, in peculiari capite tractabimus.

II, Ut

II.

Ut igitur ordinem teneamus, de *Vocali* Oratione primò agemus: ubi notandum, Doctores Mysticos parum aut nihil orationi aut precibus vocalibus tribuere, contra praxin Ecclesiæ & Fidelium, tum Veteris, tum Novi Testamenti, sanè David exemplar *illud* devotè orantis, & à DEO clementer exauditi, non submissâ tantùm voce oravit, sed & cum clamore; sic Ps. 141. 1. dixit: *Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Dominum deprecatus sum.* Psalm. 76. *Voce meâ ad Dominum clamavi, & intendit mihi.* & Psalm. 140. *Intende voci meæ, cum clamavero ad Te.* & Psalm. 5. *Intende voci orationis meæ: ut ita constet; Virum illum devotissimum & divinitùs illuminatum Davidem, in necessitatibus his, non voce tantùm, sed & cum clamore, ad DEUM preces fudisse.*

III.

Et ratio pro istis precibus Vocalibus, quòd nec vanæ, nec DEO displiceant, sed potius gratæ sunt, satis est manifestata: Nam cum ex duplici principio constet homo, videlicet ex corpore & spiritu, ideoque rectè oramus, non spiritu tantùm, sed & corpore, ut utroque modo DEUM colamus, juxta illud Osee 14. v. 3. *Omniem aufer à nobis iniquitatem, & gratiam tuam in nos denuò deriva, & redemus vitulos labiorum nostrorum.* Ubi Hieronymus sensum Prophetiæ ita reddit: *Reddituros esse dicunt labiorum vitulos, & DEI laudes perpetuâ voce cantaturos.* Consonat illud, quod Psal. 51. v. 17. *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et illud Hebr. 13. v. 14. *Offeramus hostiam laudis semper DEO, id est, fructum labiorum confitentium Nomini ejus.* Secundò oramus etiam voce, ut duplicemus nostram devotionem, atque eam magis quoque accendamus, prout Augustinus Epist. 125. cap. 9. rectè docet, inquit: *Ut per certa intervalla horarum nos ipsos admoneamus, & quantum in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus.* Et paulò post: *Admonentes, ait, nos ipsos in id, quod desiderabamus intendere, ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat.*

IV.

Porro preces illas *vocales* justificat quoque sanctissimum Salvatoris nostri exemplum, qui sæpissimè VOCALITER quoque oravit, ut constat ex Matth. 11. v. 25, 27. sic in monte Oliveti ter ad Patrem suum, & quidem cum ardentissimo desiderio preces fudit, orans

Patrem, ut *Calix* ille passionis *amarissimus* transfiret; ubi non malè *Stanburstius*: *Agnosco in una persona duas voces sensu discrepantes. altera est vox Timoris, altera est vox Amoris. Transeat à me Calix, vox est Timoris; Veruntamen non sicut ego volo, vox est Amoris: Timor Calicem deprecatur; Amor admittit, Timor Calicem vult effundere; Amor vult ebibere: In utroque desideria sunt in VOCEM ex-
euntia. Sed nulla vocalior fuit precatio, quàm in ARA CRUCIS, ubi, teste divino Paulo Hebr. 5. v. 7. cum magno clamore & lacrymis bis sanctum orationis sacrificium DEO obtulit. Primò *intercedens* pro Crucifigentibus ipsum, & exclamans: *Pater, dimitt e illis; ubi Augustinus pulchrè ait: Sic oravit, misericordia, ut oraret miseria; Oravit Medicus, ut oraret agrotus; Oravit Judex, parcere desiderans, ut Reus indulgentiam quereret.* Passiva equidem fuit hæc Salvatoris in Cruce oratio; sed non in sensu Mysticorum; quin potius sumè *activa*, sumè *desiderans* in illis ipsis precibus nostram salutem. Alterâ vice cum clamore in Cruce moriens oravit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: quibus precibus nihil potest esse sanctius; Ubi unicum desiderium meum est, quicquid contra garriat *Molinus*, ut eadem ex ore meo prodeant moribundo verba: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: Sed de Mysticorum precibus *sententibus & passivis* prolixè infra.*

V.

Pergimus à precibus Oralibus ad *Mentales*, ubi tanquam certum præmittitur, quod, ut *Vocalis oratio* DEO grata sit, *Mentalem* præsupponere debeat; Unde illa DEI querela, adversus voce tantum ac sine mente ac devotione orantes est, apud Esa. cap. 29. v. 13. *Populus iste ore suo & labiis suis me glorificat, cor autem ejus longè à me est. Unde rectè Augustinus Enarr. ad Psalm. 39. Dicant, inquit, labia, quod habet cor; nec malè Bonaventura, Doctor apud Mysticos Seraphicus, in libr. de Perfect. ait: Valdè indecens est, ut quis cum DEO loquatur ore, & aliud meditetur corde; & adjungit: Talis oratio nunquam exauditur à DEO.*

VI.

Partes, intra quas exercetur hæc *Mentalis* precatio, quatuor à *Bernhardo* ponuntur: Primò *Lectio*, secundo *meditatio*, tertio *Oratio*, quarto *Contemplatio*; quas partes ita exponit: *Lectio*, inquit, *quasi solidum cibum ori apponit; Meditatio* masticat & frangit; *Ora-*

bio saporem acquirit; *Contemplatio* est ipsa *dulcedo*, quæ reficit & delectat: Ubi existimamus, lectionem non tam esse partem *Mentalis* Orationis, quàm præambulum ad illam; est enim quasi applicatio materiæ, ex qua tota Oratio originem facit; unde paulò infra, idem *Bernhardus* ait: *Lectio quasi fundamentum primò occurrit, & data materia mittit nos ad meditationem*: addit deinceps: *Lectio est secundum exterius exercitium, Meditatio secundum interiorem intellectum*. Censet autem nos immeritò iste Doctor, quem in mysticis veneramus, tam necessariam esse *lectionem* ad meditationem, & consequenter etiam ad reliquas partes preceationis, ut *Meditationem* sine *lectione*: errorem esse dicat, vel quia in periculo errandi est, qui non satis ex *lectione* instructus, ad meditationem accedit; vel quia in incertum tendit, & quasi temerè menti permittit, ut in obscuro vagetur, qui prius quàm meditari incipiat, scopum meditationis, & materiam non sibi per lectionem proponit.

VII.

Id quod tamen eò non extendendum est, quasi eadem *lectio* omnibus eodem modo necessaria sit; nam *primò* non est necessaria in omnibus *lectio* propriissimè ita dicta, aliàs qui legere nesciunt, etiam *Orationis mentalis* non essent capaces, satis ergò est, ut quis vel *lectione*, vel *auditu* sit instructus; *Auditus* enim, quodammodo ad *lectionem* pertinet, ut ibidem dicit *Bernhardus*: deinde, si quis jam satis, quasi in habitu, sit constitutus, non semper est necessarium, ut propriam *lectionem* vel auditionem per sensuum corporis operam præmittat, quia jam finis ac scopus talis lectionis ut acquisitus, supponitur; semper tamen erit necessarium memoriam aliquo modo excitare, eamque ad certam aliquam materiam, circa quam intellectus ac voluntas versentur applicare, ut, ea vel discursui intellectus, vel affectui voluntatis proponatur; quod fieri potest, vel priusquam homo orationem suam inchoet, quando eam efficere proponit, seu disponit, vel in ipso orationis vestibulo; quanquam melius sit, & ad devotionem excitandam magis faciat, si priori modo fiat.

VIII.

Primus ergò Actus, qui propriè ad *Orationem mentalem* pertinet, est *Meditatio*, quæ consistit in devoto quodam motu & affectu, qui viam quasi parat, ad DEUM per preces *pervenienti*, Hoc mo-

A 3

tu,

tu, & devotionis affectu per *meditationem* excitato, nascitur novus affectus, qui est ipse accessus ad DEUM per precationem. Accessum hunc mentalem esse necessarium, patet ex ipsa natura precum, sive orationis, quæ colloquium quoddam est cum DEO. At verò nemo potest cum altero colloqui, nisi alterum habeat sufficienter sibi præsentem; Unde, si loco distet, ad illum accedit, ut ab eo per *locutionem* petere aliquid, & desideria sua exponere possit: Equidem ad DEUM non est necessarius *accessus localis*, cum ubique sit præsens; per accessum itaque mentis spirituales ad illum, accedere debet anima, eumq; tanquam sibi conjunctissimum, & se penetrantem & circumdantem *oculis fidei* intueri, ei que sic præsentem summam reverentiam exhibere.

Ultimus Actus *Bernhardo* est *Contemplatio*, quam definit, quod sit *mentis in DEUM suspensa elevatio; aterna dulcedinis gaudia degustans.* Hæc juxta mellificum *Bernhardum*.

IX.

Mystici in Oratione mentali *Activa* non multum abeunt ab hac sententia, imò devotius & distinctius, procedere videntur; sic Auctor de *P. Abregé de la Theologie Mystique. seu Theologie du Cœur 2. part.* qui *Dn. Poiret* censetur, hanc methodum laudat.

Sumi potest, inquit, liber aliquis spiritualis, uti est Nov. Testamentum, aut liber de *Imitatione* Salvatoris nostri; ibi leguntur per intervalla, aut aliqua Capita aut nonnullæ lineæ. Hic subsistat aliquantisper lector, & *meditatione* revolvat secum ea, quæ legit, ut penetret in sensum, eumque, quantum potest, imprimat spiritui. Ita sanctam quandam attrahet affectionem, uti est amoris erga DEUM, vel pœnitentiæ, vel aliûs Christianæ virtutis; & hujus sibi proponet praxin, quâcunque oblatâ occasione.

Addit verò *Dn. Poiret*: Duo inprimis EXTREMA esse evitanda; Unum est, ne *nimum* legamus: Alterum, ne *nimis* MEDITATIONI inhæreamus, ne mens potius defleatur à Bono suo proposito, quàm quòd per eam animetur. Manendum ergò inter terminos moderatæ *Meditationis*, ita, ut ad quamvis quasi *Pausam* vel periodum, tam diu se applicet *Spiritus*, quam diu saporem quendam jucundum & utilem ex meditatione & mora deprehendet. Hæc sanè methodus reprehendi nec potest, nec debet: Eandem methodum tradit *Rodriguez & Mad. de Guion* *Trat. moyen court de la Mad. cap. 2.*

X. Sc-

X.

Secundam methodum se ad preces per meditationem præparandi facit *Dn. Poiret*, quòd orans, si materiam sufficientem non reperiat, in objecto, ad devotionem excitandam, occupare se utiliter possit in actibus fidei eliciendis, in adoratione, in gratiarum actione, in spe, in amore, in pœnitentia, &c. Exempli gratiâ:

Ego, DEUS meus, adoro summam Majestatem tuam, & tibi tributum persolvo, de toto esse meo, & de omni, quòd in viribus meis habeo; Tuum Bonum est, quòd possideo, & à benigna manu tua descendit, ad Te ergò omnia redeant.

Vel: Gratias tibi ago aternas, quia à tota me amasti aternitate, &c.

Vel: Spero, quòd Tua providentia nunquam in necessitatibus mihi deerit, & quòd illa feliciter me ductura sit, ad implendum tuum propositum, per vias, quas mihi ut abeam, monstrabis.

Vel: Ego Te amo, ô aterna pulcbritudo & infinita Bonitas! Ego Te amo unice, & ex imis cordis mei visceribus.

Vel: Pœnitet me, quòd Tibi hæctenus, ô sanctissime DEUS, tam malè servierim: Doleo, quòd toties peccatis meis Te ostendi

Talia, inquit *Dn. Poiret*, sunt saltem pro Exemplo, quæ pro lubitu extendi possunt: Ubi addit; opus esse, ut quis singulis ejusmodi suspiriis paulisper immoretur, ut lentire queat, quænam ex talibus suspiriis vividè animum tangat, & devotionem excitet. Hæc methodus etiam nobis non displicet.

XI.

Tertium medium, juxta *Dn. Poiretum*, adhiberi potest, quando is, qui ad preces se parare intendit, nec meditari, nec ullum affectum devotionis in se excitare potest. In hac sterilitate & impotentia, putat Mysticus ille optimum esse, protestari coram DEO, quòd orans habeat *seriam intentionem* PRECANDI, & quòd nihil doleat magis; quàm de defectu necessariæ devotionis; & in ipsa protestatione aliquoties suspirandum esse ad DEUM, quin & brevem quandam Vocalem Orationem ad DEUM fundi posse; postmodum denuò *protestationem* repetendam inter suspiria: Ubi, si DEUS sensum fortè aliquem devotionis largiatur, tum istum cum *humilitate* accipiendum, atque illi insistendum esse.

Nobis etiam hoc medium in pretio est, & sanè talis contestatio, quâ anxius & ex sua capacitate dolens, illique ingemiscens

Orator

Orator se apud DEUM humiliter prosternit, suamque miseriam per suspiria exponit, non potest non cor divinum commovere.

XII.

Quartum medium ponitur accurata sui inspectio & quasi regressus in se ipsum, cum nempe homo statum animæ suæ, defectus, infirmitates, passiones, imbecillitatem, impotentiam, atque adeo totum fundamentum miseræ & peccaminosæ NIHILI sui intuetur. Et sic judicia divina respectu hujus statûs adorat. Voluntati divinæ in consideratione ista lubenter sese sub mittit; Castigationes DEL tanquam justas non minus veneratur, quam gratiam exosculatur, ex misericordia perceptam. Detestatur omne malum, & peccatum, quod commisit; Firmum tenet propositum, defectus in posterum omnes corrigendi, & vitam emendandi.

Hoc medium, utique ceu præparationem ad præces, conveniens ac DEO placens, etiam laudamus. Reliqua non adducimus, sed lectori libelli de *Theologia cordis* ponderanda relinquimus.

XIII.

Meditatio ita juxta Mysticorum methodum instituta paulatim disponit hominem, ad *Orationem affectivam*; quæ ita appellatur, quia sicut MEDITATIO, Oratio est quasi *discursiva*, quæ supponit usum intellectûs; ita *affectiva* importat *actum voluntatis*. *Alors*, inquit Poiret, *on ne peut presque plus mediter*; hoc est: *Tunc homo, quasi non amplius potest meditari*. Sed cor in piam quandam transit affectionem, in qua dulci quodam modo ita se occupat, ut aliud Objectum, nec tangat, nec respiciat, quàm DEUM, qui Voluntatis piæ, unicum CENTRUM & QUIES unica.

XIV.

Ad hanc *Orationem affectivam* tres requiruntur à Mysticis dispositiones, quas non saltem *Dn. Poiret*, sed & *Rodriquez* tradit.

Prima est, ut *Orans* antecedenter per aliquod tempus *meditationi* incubuerit, ut non saltem instructus sit *veritatibus* scitu necessariis, sed etiã, ut profundius ad *cognitionem sui ipsius* penetrare queat.

Secunda dispositio est, ut *Orans* jam aliquos notabiles *progressus* habeat in *mortificatione* sui, & *purificatione* cordis.

Tertia dispositio est, ut *Orans* se ita prosternat coram sacrosancta facie divina, simplicissimo quodam, ardente tamen *affectu*, ut sese resignet plenè in voluntatem DEL: Multum autem juvari ajunt,

Oratio

Orationem istam *affektuosam*, si cor orantis in *silentio* se teneat, ut locus divinæ in *Nobis* locutioni detur, & ut vox cœlestis eo melius in *Nobis orantibus* percipiatur.

XV.

Ista omnia, si sobriè intelligantur, rejicienda non censemus: Nam id certum est, quod qui puras & sanctas ad DEUM attollit preces; imò etiam, qui verè pœnitens, adeoque per *contritionem veram* & seriam cor offert ad preces *mortificatum*, quod inquam, ad taliter Orantem REDEAT VOX DEI: hoc est, Spiritus Sanctus spiritui nostro tum testimonium dat, non tantùm, quòd DEI preces nostræ gratæ sint DEO, sed etiam simul Filii DEI. Rom. VIII. 26, 27. quod etiam B. Arndius, quem semper inter Mysticos saniores primo loco ponimus, in devota illa Oratione pro *precibus ardentibus*, Hort: parad. ad 2. præcep. expressit, dum ait: Quod *precatio* seu *oratio* non saltem sit *Colloquium quoddam amicum & suave cum DEO*, sed etiam quòd DEUS oranti RESPONDEAT per *realia solatia & sanctas cogitationes*, quas instillat oranti. Et ista nobis certa videntur; imò infelix est, qui *orans* non sentit, vel practicè audit DEUM respondentem per *divina solamina*, quæ voces DEI sunt reales.

XVI.

Cæterùm, ut Oratio rectè fiat, variæ etiam circumstantiæ morales observandæ sunt, uti *persona, tempus, locus, finis, materia*, circa *quam & modus*: Et quidem ratione *personæ orantis*, videtur peculiaris conditio, vel qualitas necessaria, omnis enim homo potens suâ uti ratione & capax fidei, capax quoque est Orationis in suo gradu, & modo; adeò, ut in Infantibus quoque baptizatis Oratio locum habeat, eâ ratione, quâ Fides: Sicut enim ista confertur per *Sacramentum Baptismi*, ita etiam capacitas ad orandum, quanquam Spiritus S. propriè preces in ipsis efficiat. Nam si in adultis *Fidelibus* gemitus & suspiria edit ineffabilia, cur non idem dicatur de Infantibus fidelibus: In his itaque Oratio PASSIVA potius videtur dici debere quàm *activa*, vid. Rom. VIII. v. Atque in isto puncto procul dubio consentientes habebimus Mysticos, qui ORATIONI PASSIVÆ multa tribuunt, imò omnia, ut in sequenti Dissertatione prolixè dicemus.

XVII.

Dubitari tamen posset de illis, qui in statu peccati mortali sunt constituti, an illi ad Exercitium tam sanctum sint apti, nam quia O-

B

ratio

ratio seu preces sint *Colloquium* quoddam cum DEO, imò *ascensus* quispiam mentis ad DEUM; Unde peccator non tantum indignus videtur tali Colloquio, sed etiam peccatum impedit, quo minus mentem ad DEUM elevare possit. Verum quamvis negari nequeat, quòd talis peccator quamdiu est in statu illius peccati indignus planè sit, ut exaudiatur; nec manus ad DEUM sanctas attollere possit; nemo tamen magis indiget hoc pietatis exercitio, quàm peccator, ob periculum, in quo versatur, è quo ipsum NATURA eripere non potest, sed sola GRATIA & MISERICORDIA; sed quomodo illam impetrabit, nisi per arduas preces. Quare prius in tali peccatore commovenda est *Conscientia*, quæ ipsum redarguat de commisso scelere, repræsentet iram DEI, ut ita contritio & dolor de peccato commisso in corde oriatur: Iste dolor, si sauciat cor hominis, ut in *lacrymas pœnitentiales* se effundat, jam facit aptas preces; ita, ut quo major est dolor & contritio, eò major quoq; erit capacitas ad impetrandam remissionem peccatorum. Es. 66, v. 2. Ps. 51. v. 19.

XVIII.

Secunda circumstantia est *temporis*, quæ dupliciter intelligi potest. Ita, ut alia Oratio sit ad certum quoddam quasi tempus adstricta; altera ad nullum se adstringit tempus. Prior modus est, cum hora aliqua diei vel notabilis pars ejus ad orandum vel meditandum assignatur, cessando ab omnibus aliis actionibus externis, & motionibus sensibilibus objectorum, solis interioribus vacando. Alter modus est, quando in ipsismet actionibus & occupationibus externis, mens ipsa ad momentum subtrahitur, & ad DEUM ascendit, vel ad se, suaque peccata convertitur, & gemitus pœnitentiales edit.

IX.

Uterque modus orandi DEO placere potest. Et quidem quod ad primum attinet, potissimum ad *orationem devotam* tempus est *matutinum*, dum homo vel ex somno evigilat, vel ex lecto surgit: Quod ipsum tempus in primis etiam Regum devotissimus David observavit, Psal. LXII. v. 2. *Ad Te, O DEUS, cum prima luce vigilo.* & v. 7. *Recordor Tui super stratum meum, & in matutinis meditor de Te.* Quod eleganter *Ambrosius* expressit serm. 19. *An nescis*, dicens, *ô homo, quòd primitias cordis & vocis quotidie DEO, & cum primo diluculo DEO debeas?* & in libro *Sapientiæ* cap. XVI. v. 28. dicitur: *Oportet pravenire Solem, ad impetrandam benedictionem Tuam, & cum ortu Solis*

Solis

Solis, par est, ut adoreres. Sic etiam Proverbiorum cap. VIII. ait HYPOSTATICA SABIENIA, *qui mane vigilat ad me, invenient me.* Ubi Chrysostomus: *Ab initio, inquit, dabis DEO primitias. Oportet ad gratias DEO agendas, Solem praevenire, & ante ortum Lucis cor ad DEUM attollere.* Et sanè corpus ipsum longè melius matutino tempore dispositum est ad sacrum hoc exercitium; nec ita distractus est animus per alias occupationes & convenientissimum est, ut cum aurora res suas homo ad DEUM ordinet.

XX.

Alter modus, quando videlicet in ipsis actionibus externis, mens hominis ad momentum subtrahitur, & ad DEUM per preces jaculatorias & suspiria ascendit, minus videtur habere difficultatis; nam cum quacunque actione & occupatione stare potest subitanea talis ad DEUM suspiratio; nec facilè ulla occupatio potest esse tam vehemens, & continua, *moraliter* loquendo, quæ non locum aliquem & brevem moram concedat animo hominis ad preces curtas & gemitus jaculatorios ad DEUM mittendi. Suadet talem precandi modum, nec sine ratione Bonaventura lib. 7. de Proc. Rel. c. 11. inquit: *Lectionem sæpè interrumpat Oratio, sicut etiam aliàs actiones; ut semper mens ad DEUM elevetur, à quo omne bonum in nos profluit, & sine quo nullum datur verum bonum.* Eundem frequenter orandi modum commendant quoque Patres, imprimis Chrysostomus homil. 79. ad populum, ubi ait: *Christum & Paulum docuisse frequentes & breves orationes facere.* Idem facit Augustinus Epist. 112. & Cassianus Collat. 9. cap. 35. Et sanè tam frequens cum DEO commercium Divinos planè in animo profert fructus, quos alibi indicabimus; & optandum foret, ut illi, qui animarum curam gerunt, frequentius eum precandi modum Auditoribus inculcarent.

XXI.

Tertia circumstantia est locus aptus, de qua circumstantia, quod attinet ad materiam moralem, certum est, nullum locum, quamvis vilem & sordidum, esse ex sua parte ineptum ad *Orationem mentalem.* Itaque licet de *Oratione Vocali* non malè dicatur, quod *aliquo modo* dependeat à qualitate loci, ut *honestè* fiat; alia tamen ratio est in *Oratione mentali*, quæ ubique sanctè fieri potest; id, quod etiam Tho-

mas Aquinas ad locum *1. Timoth. II.* rectè observavit, dicens: *Licet ad exhibenda externa Orationis signa, non omnia loca sint accommodata, sed oporteat scandalum, vel adificationis publicam rationem habere*, tamen quoad internam Orationem omnia loca sunt æqualia. Id quod etiam Card. Petrucci & Mich. Molinos benè observant, & quoad hoc planè eum illis sentimus; nec aliter sentiunt Patres; sic Chrysostronus homil. 79. ad popul. *In foro etiam, ait, & in medio strepitu & clamore hominum orandum esse MENTALITER ad DEUM*: & concludit: *Templum es, locum ne queras ad orandum*. Paria habet mellifluus Bernhardus inquiens: *Ubicunque fueris, intrate ipsum ora, si longè fueris ab Oratorio, ne queras locum, quoniam ipse solus es*. Et Anselmus dixit: *In omni loco orandum esse*, quia DEUS ubique est. Rationes hujus rei partim sunt indicatæ in his ipsis sententiis Patrum, nempe, quod fideles & in FIDE orantes ipsimet *TEMPLUM DEI* sunt, in quibus Spiritus Sanctus habitat; porro, quia DEUS nulli loco affixus, sed *UBIQUE* est; quibus etiam ista jungi potest, quod *ORATIO MENTALIS PER SE & ex NATURA spiritualis* sit; unde quoad suam *BONITATEM & complacentiam ad DEUM à conditione corporalis loci pendere non potest*. Accedit, quòd *UBIQUE* optimum sit DEUM venerari, amare, implorare, gratias agere, laudare, &c.

XXII.

Quæ tamen ipsa ita dicta volumus, ut non contrariantur dicto Salvatoris nostri, qui Matth. VI. inquit: *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora ad Patrem tuum*; nam id negari non debet, quòd majora & frequentiora sint impedimenta, ad devotè orandum, si quis in publico oret, quàm si quis in *cubiculo & in secreto* preces suas peragat: imò proxima *INTENTIO* Salvatoris fuit, ostendere, quòd in Oratione id intendere debeamus, ut *Soli DEO* acceptæ sint nostræ preces, nec gloriolam vel laudem ex nostra *Devotione* apud homines quæramus. Quare pronunciatum Christi verum & sanctum manet, quod si commodè fieri potest, ut locum habere queamus à strepitu & tumultu Mundi alienum, ut illum eligamus, is enim *CUBICULI* nomine intelligi potest. Ita de Petro legimus, quòd in superiorem domûs partem ascenderit ad orandum. Act. X. & simile est Job. III. Judith. VIII. & IX. Quem etiam in sensum *Isidorus* lib. 3. essent

sent. cap. 7. dixit: *Oratio in privatis locis opportunius funditur, & majora impetrat, dum DEO tantum teste depromitur.* Omnes autem rationes superat exemplum Salvatoris nostri, qui oravit in montibus, Matth. V. & in horto, Luc. XXI, & in *Eremo.* ac in Veteri Testamento Isaac in campum abivit, ut oraret, Gen. XXIV. & Jacob vestigia Patris optimi legit Gen. XXVI. At verò ubi omninò talis commoditas desit, non propterea omittenda est Oratio, sed quilibet locus sufficit; Majus enim Incommodum, imò majus *nocumentum spirituale* foret, si *Orationem* omitteremus,

XXIII.

Oportet ergò, ut mens se colligat, quantum potest, etiamsi in *strepitu & tumultu Mundi* degat. Res quidem difficilis, & quæ vix in viribus nostris est, per preces tamen impetrabilis à DEO, si *jaculatoria* sint, hoc est, ardentis, ac magis *suspirantes*, quàm verbales; Et ita multi Patres *mysticè* exponunt verba Christi de *Cubiculo Cordis*, ubi videlicet DEUS à nobis orandus est mente, clausò ostiò cordis, vel sensuum, ac remotis omnibus aliis cogitationibus, quantum erit in viribus nostris; & ita tradit *Chrysostronus* loco suprà citato: Et *Auctor Imperf. Operis* Homil. 13. *Hilarius* Can. 5. in Matth. *Augustinus* lib. 6. Sacram. *Cassianus* ex *Mysticis*: *Bonaventura* lib. de perfect. vitæ cap. 5. *Aphonsus Rodriguez* de la perf. Chrest. 1. p. 21. 5. tract. chap. 22. & alii.

XXIV.

Ex dictis facilè est de aliis circumstantiis judicare, inter quas principem locum tenet FINIS, circa quam circumstantiam advertendum, in hoc *mentali Exercitio* habendam esse Orationem non tantùm ex generali fine, quòd actus sit Bonus *moraliter*, aut quòd vergat in cultum & gloriam DEI; Qui utique fines ad preces *intrinsecè* requiruntur; sed etiam præfigenda est certa materia & Objectum, circa quod Oratio occupetur; ut jam supra quoque tetigimus. Nam si oratio in incertum tantùm tendat, atque ita *vagam* quasi & *generalem intentionem* habeat orandi; tum facillimè orans alienis cogitationibus distrahetur; quo pertinet illud, quod ex *Gerson* habet *Rodriguez*, inquit: *Gerson dit que c'est aussi un tres-bon remede contre les*

B 3

distra-

*distractions, que de se bien preparer à l'Oraison, & de faire choix de plusieurs points pour mediter. Car de cette sorte, quand on vient à etre distrait de quelqu'un de ceux qu'on a choisis, on ne s'apperçoit pas plutot de cette distraction, que l'on a recours à un autre point; & si on ne trouve pas de facilité à s'appliquer à celui là, on passe encore à un autre; & ainsi un persevere plus facilement dans l'Oraison. hoc est, si nosmetiplos rectè volumus examinare, deprehendemus, quod sæpè distractiones spirituum & cogitationum nostrarum, quas in Orationibus habemus, exinde oriantur, quod nec benè nos præparavimus ad preces nec satis determinavimus meditari, & quòd nihil habuimus certi, ad quod nos figere potuissemus. Quod ipsum *Rodriquezy* monitum verissimum est.*

XXV.

Cæterùm, quod ad illas *distractiones* attinet illæ sunt in multiplici differentia, quædam proveniunt ex mala præparatione, ad preces, ut ex *Rodriquezio* audivimus, & hæ peccato non vocant; licet enim directæ non sint *voluntariae*, voluntariæ tamen sunt in sua *Causa*, cùm nostri sit officii, ut condignè nos ad preces præparemus. Huc pertinet etiam, quòd sæpè menti & phantasiæ nostræ permittamus, ut per varia se distrahat Objecta mundana & temporalia, quæ dum imaginationem nostram occupant, facilè postmodùm se ingerunt nostris exercitiis spiritualibus eaque turbanti. Nihil enim naturalius est, maximè in statu corrupto, quàm ut illæ species & imagines rerum sensibilium ac variarum, quibus per diem aures & sensus nostros internos præbuimus, redeant deinceps, & quidem non sine quadam quasi vehementia, si precibus vacare volumus. Unde, qui distractionibus istis obniti conatur, ante omnia necessum habet, ut pabulum & materiam eripiat, per cogitationes bonas, per opera pietatis, per *meditationem* in Verbo DEI, atque ut ita animum repleat homogeneis cum *precibus* objectis. Id quod ingeniosè *Cassianus*, & cum eo *Bernhardus* & *Anselmus* per comparationem cum *mola* expresserunt. Sicut enim impedire non possumus, quin mola benè constituta, semper se moveat; interim ab illo, qui *molam* gubernat, dependet, an bonum vel malum frumentum ferat. Ita se habet anima nostra, semper in motu est; ut verò illi motus boni, casti & sancti sint, opus est, ut materiam quoque bonam, castam & sanctam animæ tuæ præbe-

as;

as; ac probè curandum, ne quid maligni seminis intret, quod non nisi per accuratam sensuum custodiam, & ut omnes eorum portæ rigide occludantur, obtineri potest.

XXVI.

Alia est DISTRACTIONIS species, quæ sanctissimis quoque Viris suspiria & lamentationes sæpè expressit, quando videlicet anima per varias Diaboli tentationes in precibus suis turbatur: Nam cùm spiritui infernali nihil magis adversum sit, quàm *pia preces*, quibus cor nostrum ad DEUM attollitur: ideoq; omnia media fatigat, ut nos ab illo sancto exercitio abstrahat, & mentem deprimat, suggerendo spurcas sæpè cogitationes, aut etiam blasphemationes. Tales fœdas & impias *Cogitationes*, *Michael de Molinos* violentias appellavit Diaboli, quales fuerint blasphemationes Jobi, & violentiæ, quas in proprio corpore sustinuerit Paulus; & huc refert locum Rom. 7. ubi Apostolus dicat, *non Quod Volo, id facio, sed quod malo.*

XXVII.


Contra illas adeò nullum remedium posuit *Molinos*, ut potius statuerit, non esse resistendum Diabolo, nec ullam adhibendam esse industriam, nullumque proprium motum. Quin ejusmodi Dæmonis violentias, medium esse proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem cum DEO perducendam; & hanc viam esse omnium facillimam & tutissimam, ad istud grande perfectionis summæ momentum. Ab hac sententia parum abit *Dn. Poiret*, ut, qui omnia *desideria* activa simpliciter rejicit in anima ad perfectionem tendente, & mera *passiva* desideria, (quæ in re purum *σηθηρόζυλον* sunt,) commendat, qua nempe anima sese in pura sui ABNEGATIONE & RENUNCIATIONE DEO relinquit; putat enim, quòdquam diu homo *propria* habeat *desideria*, etiamsi *sancta* videantur, in summo periculo versetur, ita, ut pro *bono malo*, pro *vita mortem*, pro *Gratia naturam corruptam*, ejusque motus, pro *DEO Diabolum* amplectantur.

XXVIII.

Verum enim verò, nec *Molinosis*, nec *Poireti* methodum nobis commendat Codex sacer; nec suadent exempla Sanctorum, ut suo loco

loco prolixè ostendemus. Paucis id jam reponimus, quod Salvator noster planè alia consilia nobis contra *spiritus* impuri & infernalis *tentationes insultum & violentias* suppeditet; nam Matth. 17. v. 20. & 21. suadet *sitim, jejunia, & preces*. Sanè FIDES vera ex natura sua est *Motus* quispiam *vite spiritualis*, non *quies* segnis, non *cessatio* seu *suspensio* ab actu; hinc & *Petrus* ex Magistri sui ore 1. Ep. 5. v. 9. planè diversa à *Molinosis* tradit, inquit ad *fideles* suos: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quarens quem devoret, cui RESISTITE fortes in fide*. Expressè in his verbis præcipitur ab Apostolo RESISTENTIA, ut fidelis hosti illi *resistat*, non ut quiescat, atque ut *scutum* illud *impetrabile* FIDEI ipsi obiciat: Et quis miles tam stolidus est, ut hoste adveniente, censeat sibi jam *nihil* agendum, nec *resistendum*, nec *violentia* illius, aliam opponendam. At, inquit *Cyprianus*, Diabolus inimicus est; insidiosissimus, *quarens*, sive tanquam hostis clausos obsidens muros explorat, quæ pars membrorum nostrorum firma sit, cujus aditu ad interiora penetret; sic offert oculis formas illicientes, canora Musica tentat aures, linguam provocat ad convitia, &c. Unde porrò planè absolum est, cum *Molinós* putat, *Satanæ violentias*, medium esse proportionatum ad *annihilationem animæ*, eamque ad *unionem* cum DEO perducendam: DEUS enim Diaboli manibus neminem ad se perducit; & *annihilatio* illa *animæ*, sicut ex schola Platonis desumpta est, ita profus à veritate div. aliena est; nullibi Codex S. talis *annihilationis* mentionem facit; Quin & ipsis principiis *Molinosis* adversa est; *Anima* enim hominis, juxta ipsum & *Poiretum*, pars est *Essentiæ Divinæ*, & ejusdem naturæ cum *essentiâ Filii DEI*. vid. *Poiret* lib. 1. & c. cap. 10. § 4. & seq. Quomodo autem *Essentiâ Divinâ*, vel quoad *totum*, vel quoad partem annihilari poterit; & quomodo *anima* talis *annihilata* uniri poterit cum DEO? Unio enim supponit *existentiam* extremorum, non stat cum *annihilatione* alterius *extremi*.

Denique locus Rom. 7. v. 19. planè impertinenter de *violentis* Diaboli explicatur; sed agit de pugna inter *carnem & spiritum*. Sed de his suo loco.



VULT DEUS in Cœlis, ut nos illum veneremur,
 Non cultu externo, thure, nec igne Sacro;
 Sed precibus sanctis ex toto pectore fusis,
 Quæ sunt Excelso victima grata DEO.
 Cùm nunc de precibus, mi VASTI, differis, istæ
 Ut Sanctæ Summo sint, precor usque DEO.

Amoris ergò apposuit

Joh. Nicolai, Antiq. Prof.

Nec Te difertis æmula Sæculis
 Exemit ætas! perge fideliter
 Servire Musis, perge VASTI,
 Emeritas cumulare lauros.

Impelle flammæ, quas TIBI Belgicus
 Donavit Orbis magnanimum Patens!

Sic una sic amate VASTI

E gemino fluit æmone, fama.

Gratulabundus festinante scribebat Doctiss Dn.

Respondentis servus addictissimus

G.F.S.

SCilicet haud levis est nec vana scientia, lustrans

Mystica, quæ sanctè Theiologia docet.
 Labitur errores facilè atque frequenter in altos

Mystica, quæ credit qui sine mente pia.

Tu medio incedis, *Doctissime*, tramite, VASTI,

Mystica quam dextrè! *nonnisi sacra* probans.

Haud Tibi vulgaris laus est: restat modo cæptis

Mente vovere pia prospera fata Tuis.

Litteratissimo Dn Resp gratulabundus hac adjecit

H. de Wiederholdt in Weidenhoven.

Een gebed met VAST vertrouwen dat is een edele schar,

Wilt dat dog wel onthouden en in uheit bevat

Op dat ghy VAST moogt syn en regeren, VASTEN-Borgh,


Die voor des Duyvels list bestaan kan sonder sorgh.

*Dit vveynige dog vvel meenende heeft aan syn Lands
 man van gancken Herten vville to vvenschen*

Joh. Ernst Schauzeler, S.S. Theol. Stud.

C

VASTI



VASTI! dum VASTUM hoc VASTAS molimine FASTUM,
 Atque doces humili flectere voce DEUM:
Jam TUA sunt FASTIS conamina digna futuris;
 FAS TIBI sic apicem scandere laudis erit.
VAS Tuus, hæc etenim TUA Dissertatio, spondet,
 TE volitaturum docta per ora VIRUM.
FASTIDI potto FASTUM; FASTIGIA cæli,
 Sic feris, & VASIS nomen honoris habes.

Schwehrter Vast! so muß Dein Name
 Dem Welt-berühmten Amsterdam
 Noch immerfort beliebter werden.
 Wann Du der Neckar-Musen Schaar
 Legst Deines Fleißes Früchte dar/
 Und zeigst Dich einen Gotts Gelehrten.
 Drum wird Dein Vaterland sich über Dich erfreuen/
 Und/ weil es Dich erkies/ es nicht die Wahl bereuen.
 Es suchet seinen Ruhm darinn/
 Daß nun Dein tieff- gelehrter Sinn
 Handgreifflich sein Verfahren billigt;
 Weil es/ vor andern/ Dich ersehnt/
 Ihn/ als ein Lehrer/ vorzustehn/
 Und herzuschicken/ eingewilligt.
 Dir aber bleibt der Ruhm vor andern seinen Söhnen/
 Und Holland ist bereit/ so grossen Fleiß zu krönen.
 Und über dich! wer lehren kan:
 Wie das Gebett soll Wolcken an
 Und über Stern' und Himmel dringen.
 Desselben Ruhm muß jederzeit/
 Vom Welt Dunst/ zur Unsterblichkeit
 Sich/ gleich dem Adler/ höher schwingen.
GOTT (wünsch ich) zebe nur: daß alles wohl gedeyet
 Und der gelehrte Vast so Thät= als Lehrer seye.

*Ita Verarabili atque Clarissimo Dn Respondenti, suo
 in primis Fautori gratulabundus accinit*

M. Jac. Bartholomæus Zügel,
 SS. Theol. Stud.



Coll. diss. A. 56. Misc. 38.